

in omnibus inesse animam, cui postea subordinabant certas facultates, ut attractricem, retentricem, expultricem, etc. Sed si æqua rationis lance pensito rem præsentem, invenio, quod primo falsum sit, quævis corpora gaudere anima; deinde etiam quod detur motus tractionis; Cum ratione enim convenit, omnem motum, qui in rerum universitate datur, esse pulsionem dicendum. Duplicem enim corporum statum tantum concipere licet, alterum *contiguitatis*, alterum vero *continuitatis*. Si contigua invicem sunt corpora, h. e. ubi mutuis superficiebus sese immediate contingunt, ita tamen ut facili negotio unum ab altero separari possit, salvo manente altero, apertum est, nullam dari tractionem. Si enim duo corpora juxta se ponantur ita quidem, ut primo, ambo moveantur, unum versus meridiem, versus boream alterum, tunc neutrum erit causa motus alterius, sed ambo suum, quousque licet, continuabunt motum. Deinde si ambo quiescant, neutrum etiam producet motum in altero, quoniam nihil operatur sui contrarium, neque quies motum. Si vero tertio spectentur, ita, ut unum quiescat, alterum vero moveatur, si tunc illud in motu constitutum ruat & feratur versus quiescens, illud utique suo loco pellit, ei que aliquot sui motus gradus impertit, quem motum ne stupidissimus quidem Tractionem vocabit. Si vero corpora invicem sunt continua, h. e. ubi immediate sese contingunt in mutuis partium amplexibus, ceu uncis & hamis unum totum constituunt, ita ut altero salvo manente, alterum separari nequeat, neque tunc tractio habeat locum; Tale enim corpus non habet motum intrinsecum, quem naturalem vocant, sese ex voluntate movendi, concurrente nullo alio corpore, cum primo voluntas præsupponat cogitationem, quæ omnibus corporibus denegatur. Secundo sibi ipsis contradicunt;